

futuris regularem vitam professis in P. P. M. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro Ecclesiarum statu fatagere, & earum paci, & tranquillitati salubriter auxiliante Domino in posterum providere. Dignum namque est, & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumti sumus eas, & a pravorum hominum nequitia tueamur, & Apostolicæ Sedis, ac B. Petri patrocinium muniamus. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, in quo divino estis obsequio Mancipati sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Domini, & B. Benedicti regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum juste, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis diximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam S. Ambrosii, videlicet quæ est in castro Spignio, Ecclesiam S. Agnetis in eodem loco, Capellam S. Quintini juxta Monasterium, Ecclesiam S. Angeli, Ecclesiam S. Mariæ in Trippino, Ecclesiam S. Michaelis in Malovicino, Ecclesiam S. Georgii in Monteclaro, Ecclesiam S. Mariæ de Rochetta, Ecclesiam S. Michaelis in Curte Milia, Ecclesiam S. Nicolai de Marana, Ecclesiam S. Pauli de Vivello, Ecclesiam S. Andreæ in Taxillo, Ecclesiam S. Salvatoris de Gamudio, Ecclesiam S. Evassii in Cornale, Castrum quod dicitur Plana cum Ecclesia S. Coronæ, Villam, quæ dicitur Visvalla cum Ecclesia S. Salvatoris, Elleram cum duabus Ecclesiis, Ecclesiam S. Mariæ in Campo regio, Villam, quæ dicitur Sandalum, villam, quæ dicitur Urfariola cum Ecclesia S. Laurentii, Castrum S. Juliæ, villam, quæ dicitur Salegium cum Ecclesia S. . . . (1), & jus, quod habetis in villa, quæ dicitur Cagnia, & Loisio, & in Curtemilia, & in Rocca, & in Vigesimo, & in Perleto, & in Turri, & in Ulmo, & in Montebaldonis, & in Denis, & in Bestagnio, & in Lintigniano, & in Alice, & in Runco Aldonis (2), & in Bonovicino, & in Roboreto, & in Petra Pavonis, & in Plaffiano, & in Pulsone, & in Monteclaro, & in Pereto, & in Veragino, & in Albuzzola, & in valle Pica, & Pertica, in Bochilo, in Carcaris, & in Cario, in Viniariolo, in Nidiosa, & Dego, in Monosilo, in Pruneto, in Leves, & Wasco, in Turri de Burmia, in Cruce Ferrea, in Rochehta de Cingulo, in Cerreto, & in Montebarucio. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumtibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino a nobis decimas, vel primitias exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos a sæculo fugientes liberos, & absolutos ad conversionem recipere, & in vestro monasterio absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, ut

nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco absque Abatis sui licentia, nisi obtentu arctioris religionis discedere. Discedentem vero sine communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem Ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis Præbiteros eligere, & Episcopis præsentare quibus . . . (3) fuerint, Episcopi curam animarum committant, ut ipsis de spiritualibus respondeant, vobis vero pro rebus temporalibus ad vestrum monasterium pertinentibus debitam subjectionem impendant. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis non pulsatis campanis, exclusis interdictis, & excommunicatis suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obstat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, ad hæc antiquas, & rationabiles consuetudines, possessiones, & jura, quæ fundatores eidem monasterio vestro contulerunt, sicut ipsa pacifice possidetis, integra, & illibata præsentis decreto manere sancimus. Prohibemus insuper, ut nulli liceat idem monasterium indebitis exactionibus fatigare (4), vel in vos excommunicationis, aut suspensionis absque manifesta, & rationabili causa sententiam promulgare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra, & illibata serventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocesanorum Episcoporum canonica justitia. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ protectionis, aureum unum nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo, tertioque commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eodem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

In medio. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ubaldus Hostiensis Episcopus. Ego Theodinus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus. Ego Petrus Tusculanensis Episcopus. Ego Henricus Al-